



Universitätsbibliothek Paderborn

**Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium,
Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum
Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LIII. De filiis expositis, & illegitimis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

C A S U S LIII.

De Filiis expositis, & illegitimis.

Marcolphia ex damnato coitu cum Brusco gravida, & jam partui proxima clam ex suo Oppido abiens in alium se confert locum, ut partus tutiū delitescat, sed antequam eō perveniat, in via prolem emititur, quam pannis involutam locat propè viam, ibique eam relinquens domum revertitur, proles verò recens nata, & exposita à pertransiente quodam Auriga reperta ad proximum Hospitale defertur educanda, quæ postea educata, & pubertatem adepta, Religionem ingredi statuit.

QUÆR. I. Quale peccatum sit exponere infantes, & an liceat illegitimum exponere ad crimen occultandum, & infamiam evitandum?

QUÆR. II. A quo alenda sit proles exposita, & an Brucus pater teneatur Hospitali refundere sumptus in educatione prolis factos?

QUÆR. III. An irregularitas ex defectu natalium tollatur per Professionem Religiosam, aut per solum Religionis ingressum, & an illegitimus occultus sit irregularis, & quis cum eo dispensare possit?

303 **A**D 1. Q. R. Expositionem infantium, cùm à parentibus sustentari, & educari possunt, juxta communem DD. graviter esse peccaminosam, idque sive expositio fiat, ut infans pereat, sive ut ab aliis alatur, & educetur. Ratio primæ partis est; quia quantum in ipsis est, sic exponentes exposi-

tos necare videntur, *Can. Pasce 21. dist. 86. can. fin. dist. 87. l. necare 4. ff. de agnosc. & alend. Liber. & l. fin. C. h. tit.* & hinc sic exponentes tanquam homicide puniuntur poena capitii juxta citt. *l. necare, & Const. crim. Carol. V. art. 132. fin.* ut notat Bartol. cùm aliis in citt. *l. necere.*

Tt 2

Ratio

Ratio posterioris partis patet
tum ex citt. textibus, ubi expo-
sitio etiam tali modo facta ab
utroque Jure gravissimè generali-
ter prohibetur; tum ex Novell.
153. ubi expositio infantium uni-
versaliter vocatur *crimen à sensu*
humano alienum, & quod ne ab ulla
quidem Barbaris admitti credibile est.
Et ratio ulterior est, quia dum
parentes exponentes prolem, ali-
mentis eam destituunt, ignorantes,
à quo antequam moriatur, assu-
matur, & sustentetur, eam mortis
periculo exponunt, siveque &
ipsi, quantum in se est, illam ne-
care videntur.

Si tamen parentes ob paupertatem,
& inopiam suam prolem sus-
tentare non possent, & idcirco
prolem exponerent in loco pio,
aut alio, in quo commodè sus-
tari posset, eos à culpa immunes
pronuntiant Barbos. de Offic. Episc.
alleg. 51. Gonzal. in c. un. b. tit. n.
10. fin. Azor p. 2. l. 2. c. 26. q. 2.
Wiestn. h̄c n. 1. & alii; Verūm
vix casus accidere potest, inquit
Laym. l. 3. tr. 3. c. 14. ut propter
inopiam parentum liceat prolem
exponere, quia inter homines, qui
proli ex misericordia opitulaturi
esperantur, aliqui semper reperiendii
erunt, qui proli alimoniam sint
suppeditaturi.

An autem liceat prolem expo-
nere ad crimen occultandum, &
infamiam declinandam, affirmant

multi, eò quòd ad gravem infamiam
evitandam liceat quandoque non tantum proli,
sed propriam etiam vitam periculo expo-
nere, ut colligitur ex l. ifsi 8. §. 2.
ff. quod met. cauf. Negant alii, ajun-
que licere quidem etiam propriam
vitam quandoque perieulo expo-
nere ad infamiam vitandam, quando
fama injustè ab alio invaditur, vel
aufertur; non verò quando fama ju-
stè lēditur, prout fit in tali casu, ubi
fama matris illicitè imprægnatae à
nemine injustè lēditur. Accedit,
quòd alias pro famæ, & honoris
defensione liceret prolem propriis
manibus interimere, cùm non re-
ferat juxta citt. Novell. 153. & l.
necare, sive proles manu violenta,
sive fame, & alimentorum subtra-
ctione pereat. Sed

Præplacet h̄c sententia affirma-
tiva sub ea limitatione, sub qua
eam tuentur Molina D. 103. &
alii, videlicet licitum esse, prolem
exponere, quando ex una parte
infamia, aliisque mala alia viā com-
modè impediri non possunt; ex
alia parte debita cautela adhibe-
tur, ne proles exposita frigore, fa-
me, aliōve modo moriatur; quia
tunc morale periculum, ne proles
exposita pereat, sublatum, nul-
lumque est; consultum tamen est,
prout notat Laym. l. c. ut tunc
proles prius baptizetur, apposita
ei scheda de Baptismo testante.
Illud porrò h̄c notandum est,
Patrem filium exponentem, vel
in ejus expositionem consentien-
tem,

tem, aut eandem ratam habentem, privari ita patriâ potestate, ut eum pater repeteret nequeat, & filius sui juris efficiatur, juxta C. un. h. tit. & l. sancimus 3. ac l. fin. C. h. tit. sed in iis tantum, quæ filio exposito sunt onerosa, & odiosa, non verò in favorabilibus, scilicet quoad dotem, alimenta, &c. ut notant Barbos. l. c. Gratian. discept. for. c. 267. Engl. n. 4. König. Wiesbn. n. 4. Schmalzgr. n. 13. & alii. Unde

304 Ad 2. Q. R. Filios expositos etiam illegitimos per se à patre alendos esse, ut tenet communis DD. & patet ex l. si quis 5. ff. de agnoscend. liber. & l. penult. & fin. C. de alend. liber. & ex ipso naturæ jure. Nec obstat, quòd infans per expositionem à patria potestate liberetur per juris dispositionem; nam id duntaxat intelligitur quoad odiosa, & onerosa; non autem quoad favorabilia, quale est jus alimentorum, ut suprà dictum est.

Quod si pater expositum filium alere nequeat, nec aliis privatus illius curam suscipiat, alimenta subministranda sunt ab Hospitalibus, aliisve piis locis erectis ad hujusmodi pietatis officia; quia ea censetur esse mens, & voluntas Fundatorum: His verò defientibus, ex Ecclesiae redditibus sustentandi sunt ita expositi, tanquam ex Patrimonio Christi, &

pauperum, ut colligitur ex Can. aurum 70. cauf. 12. q. 2. Si verò redditus Ecclesiae non sufficiant, alendi sunt à Communitate loci, in quo inventi, & baptizati sunt, ut cum aliis notant Abb. in c. un. h. tit. & Barbos citt. c. un. n. 4. & 5. Unde

Ad 2. Membrum Q. An Bruscus 305

pater teneatur Hospitali refundere expensas in alimenta, & educationem factas? R. Si Bruscus dives sit, teneri restituere Hospitali, præsertim si hoc pauper sit, expensas in alenda ea prole factas, quatenus sine periculo suæ famæ potest. Ita ex communi Molina l. c. Ratio est; quia bona Hospitalium sunt in usus, & subsidium pauperum destinata, & relicta a Fundatoribus, quorum præsumpta voluntas est, ut si ex justa causa bona aliqua Hospitalis eo modo insumerentur in filium alicuius dicitis, teneatur parens ea compensare in usus, & subsidium aliorum pauperum, utpote obligatus ad alimenta suo filio etiam illegitimo subministranda, & in defectum patris mater tenetur, siquidem dives sit, & possit; quæ proin, si dives esset, in defectum patris teneretur etiam ad refundendas Hospitali dicto modo factas expensas.

Quòd si tamen Hospital ex sui institutione haberet redditus ad infantes expositos indiscriminatim

T 3 natim

natum alendos, essetque valde dives, præsumptio esset, ut ait Laym. l. c. fundatum esse pro omnibus expositis ob justam causam, absque compensationis obligatione.

Illud h̄ic notandum venit apud citt. DD. ex Novall. 115. c. 3. quod quicunque hujusmodi infantes expositos assumunt, & educant, id juris acquirant, quod eis, (excluso Filio, parentibus, & consanguineis tanquam indignis,) ab intestato succedant, si absque descendantibus decadent relictis post se bonis temporalibus.

306 Ad 3. Q. Suppono h̄ic ex cap. ut filii 1. & seqq. b. tit. & C. inter dilectos 11. de excess. Prælat. Omnes illegitimè natos repelli ab Ordinibus suscipiendis, Beneficiis, & Dignitatibus. Unde queritur h̄ic, an hæc illegitimorum irregularitas ita tollatur per Professionem Religiosam, vel etiam per solum Religionis ingressum, ut absque alia dispensatione possint ejusmodi illegitimi promoveri ad Ordines, Beneficia, aliasque Dignitates? Ad quod

R. 1. Per Professionem Religiosam tolli hanc irregularitatem ex defectu Natalium ortam, ut omnes illegitimi, etiam spuri promoveri possint absque alia Dispensatione ad omnes ordines, non item per solum ingressum in Religionem,

seu Novitiatum.¹ Prior pars patet ex C. ut filii 1. b. tit. & Can. Presbyterorum 1. dist. 56. & ex communione DD. apud Dianam part. 5. tr. 2. R. 65. Posterior pars est contra Rodriq. tom. 1. Regul. q. 13. n. 4. existimantem prædictam irregularitatem tolli etiam per ingressum in Religionem probationis causâ, eò quod in favorilibus Clericorum, & Monachorum nomine (de quibus sermo est in c. ut filii citt.) veniant etiam Novitii, & etiam ille dicatur ingressus Religionem, qui Novitiatum est ingressus, atque adest eodem gaudeat favore Novitius, quo gaudet, qui Religionem proficitur. Sed contrarium omnino tenendum est cum Suarezio de Censur. D. 50. c. 2. n. 12. & 14. Sylv. V. illegitimus n. 8. Tolet. l. 1. c. 68. Diana 1. c. Emm. Sà V. irregularitas. Sanch. l. 5. moral. c. 5. alisque communiter affirmantibus solam Professionem Religiosam vim habere tollendi hanc irregularitatem, eaque sola vota, per quæ quis verè, ac propriè Religiosus efficitur, qualia sunt etiam vota, licet duntaxat simplicia, quæ in Societate Jesu post biennium Novitiatū emittuntur, ut patet ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit: *Ascendente.* Ratio cur vis tollendi hanc irregularitatem tribuatur soli Professioni Religiosæ & votis efficientibus Religiosum, non autem ingressui in Novitiatum, desumitur ex citt. can. Presbyterorum 1. & C. ut filii citt. ubi Presbyterorum filii,

filii, (qui verè spuri sunt, eò quòd inter eorum parentes ob alterius votum solemnē Matrimonium consistere non potuerit,) removentur à sacris Altaris ministeriis. nisi in Cœnobitis Religiosè probati, fuerint conversati, & nisi sint Mönachi, ut expressè ponitur in C. ut filii citt. quod propriè sit per emulsionem votorum substantialium, per quæ quis verè Religiosus efficitur; non verò per solum Religionis ingressum probationis causā, & licet Religionis nomine etiam Novitii alibi in favorabilibus veniant; hīc tamen juxta communem hoc nomine venire nequeunt; tum quia cùm legitimatio ad Ordines fiat ad rem quamdam stabilem, & perpetuam, non expediebat quemquam ad Ordines admitti; donec stabilem, & perpetuum Religionis statum assumeret; tum quia aliàs multæ fraudes fieri possent, si Novitus illegitimus per susceptionem Ordinis legitimaretur, & ante Professionem pro libitu suo ex Novitiatu, & Religione egredi posset.

R. 2. Per Professionem Religiosam non tolli hanc irregularitatem, ut filii illegitimi habiles reddantur ad Prælaturas, ut patet ex citt. C. ut filii 1. junct. Gloss. V. prælati nem h. tit. De Beneficiis tamen inferioribus controvertitur inter DD. negat Suarez de Censur. D. 50. S. 5. n. 15. eò quòd in citt. C. ut filii, sola susceptio SS. Ordinum illegitimis Professis permittatur; atque adeò

à Beneficiis obtainendis repellantur. Alii cum Abb. in citt. c. 1. n. 6. Navar. l. 1. Conf. 3. n. 2. & seqq. Fagn. in citt. c. 1. n. 20. Pirhing. hīc n. 7. Wiestn. n. 14. melius distinguunt inter Beneficia curata, & alia curam animarum annexam non habentia; & de primis concedunt, ea esse illegitimis interdicta; negant autem de secundis, eò quòd in C. fin. h. tit. hujusmodi illegitimi à solis Prælaturis, personis, & Beneficiis Curatis removeantur, quod ipsa praxis confirmat, teste Schmalzgr. hīc. n. 9.

Ad alterum Q. membrum, an 307 hæc irregularitas incurrit ab illegitimo occulto, & quis possit cum eo dispensare?

R. cum Navar. in man. 6. 27. Laym. l. 1. tr. 5. c. 5. Suarez de censur. l. c. 8. 5. n. 5. Bonac. Tolet. Sylvest. & communi aliorum contra Alphon. de Castro l. 2. de leg. pœn. c. ult. conc. 5. illegitimum quantumvis occultum, & in foro externo pro legitimo reputatum, in foro tamen interno verè irregularem esse, solumque sumnum Pontificem cum eo probabilius dispensare posse, secluso Privilegia Apostolico. Prior pars elucet ex eo, quòd ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus; citt. autem supra textus nullam inter illegitimum occultum, & publicum faciunt distinctionem, nec alia est specialis ratio pro uno, quam pro altero. Posterior pars est contra non nullos cum Diana p. 3. tr. 1. Miscell. R.

21. &


21. & Avila part. 7. D. 3. dub. 7. putantes, posse in hoc etiam Episcopum dispensare ad Ordines etiam sacros, & Beneficia curata ex facultate sibi à Trident. concessa, *Seff.*
 24. c. 6. de reform. ubi facultatem indulget Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario, & iis, quæ deducta sunt ad forum contentiosum: atqui irregularitas ex defectu natalium orta provenit ex delicto occulto parentum. Ergo. Verum.

Tenenda est communis opposita cum citt. DD. quia hæc irregularitas proximè, ac formaliter non est ex delicto, sed ex morali macula & nota ipsius personæ; irregularitas autem ex delicto occulto illa duntaxat censetur, ut nota citt. Suarez, quæ orta est ex delicto proprio ipsius irregularis, & non ex alieno, qualis est, quæ ex defectu natalium oritur: imò potest contingere, ut etiam sine ulla culpa parentum contrahatur hæc irre-

gularitas, ut notat Coninck. tom. 2. D. 18. dub. 14. ut si proles susceppta sit ex personis in amentia copulatis.

Ad Ordines tamen minores & Beneficia simplicia, saltem quæ Ordinem sacrum annexum non habent, vel actu requirunt, dispensare potest Episcopus, ut patet ex c. is qui 1. h. tit. in 6.

Porrò illegitimus dispensatus simpliciter ad Ordines, intelligitur solum ad minores dispensatus, juxta Gloss. in cap. litteras V. ordinarii de fil. Presb. Suarez de cens. D. 41. S. 3. Sanch. l. 8. D. 1. n. 26. Azor. l. 6. c. 3. q. 6. Item dispensatus ad Ordines non est dispensatus ad Beneficia, quia sunt separabilia, & dispensatio est strictè intelligenda, & dispensatus ad Beneficium de uno, & simplici intelligitur. Barbos. allegat. 45. n. 5. Panormit. in citt. C. litteras. Sayr. l. 6. Thesaur. c. 10. aliisque suprà relati,



CA-